Reſult of a Cryſtallization quite different from the former.

I had almoſt forgot to tell you, that I ſaw but very few Figures of twelve Points, and thoſe moſtly imperfect in one reſpect or other.

Petworth, Feb. 13. 172$\frac{2}{3}$.

VII. *Obſervationes Auroræ Borealis per quadriennium factæ*, Lennæ Regis *in* Norfolciâ. *Ex epiſtolâ doctiſſimi Obſervatoris ad* Martinum Folkes, *Arm. Reg. Soc. Vice-Præſ.*

NON ingratum fore arbitror, Vir Doctiſſime, obſervationes quaſdam de Aurorâ Boreali, apud Lennam Regis in Norfolciâ, quatuor ſuperioribus annis a me habitas tibi impertire. Mirum illud Phænomenon ſexto Martii 171$\frac{4}{5}$. non licuit mihi inſcienti videre, quod infortunium haud exiguum in me peperit ſtudium ſubſequentibus Phænomenis invigilandi. Priorem obſervationem, quam hic ſubjeci, ſummâ curâ delineavi, ſtatim atque vidi, ideoque, ni fallor, a vero parum diſcrepat. Reliquas etiam deſcriptiones pro certo habeas accuratas eſſe. Quænam ſit cauſa harum coruſcationum, nondum, ut opinor, ſatis exploratum eſt.

Die Veneris Sept. 5. 1718. circa hor. x. Phænomenon hoc, delineatum *Pl. I. Fig.* 4. obſervatum fuit Lennæ Regis, in puncto boreali.

Die

Die Saturni Sept. 6. circa horas VIII & X. perplures Luminis columnæ, ſimiles ſupradeſcriptis (*aa*) obſervabantur, non æque lucidæ ac pyramides nocte præcedente obſervatæ, quæ ferebantur verſus orientem, hæ vero ad occidentem.

Die Jovis Sept. 11. perplures iſtiuſmodi columnæ iterum conſpiciuntur cum motu occidentali.

Die Saturni Sept. 13. circa horam XI. Aurora Borealis lucidior ac altior fuit, longioribuſque pyramidibus adornata, quam adhuc obſervata fuerat. Adeo lucebat hâc nocte, ut characteres in libro legerentur.

Die Saturni vero Octob. 11. circa horas X & XI. Aurora Borealis lucidior quam unquam fuit, ac coruſcationibus pyramidalibus interſperſis, haud multum abſimilis Phænomeno prius obſervato, Sept. 5. Lumine iterum ita ſplendente, ut legere liceret.

Die Veneris Dec. 19. circa horas VIII & IX. Hâc nocte viſi ſunt cum Aurorâ Boreali perplures lucis radii, e nube veluti nigrâ exorientes; revera autem non fuiſſe nubem exinde patet, quia ſtellæ per illam clare videbantur. Quid vero aliud fuerit, haud facile eſt dictu. Sed quod præcipue notavimus, fuit motus horum luminum ſane mirabilis. Hos radios obſervavimus in ſtatu ſemper mobili, poſitiones ſuas, ſeu loca, perpetuo mutantes; curſum ſuum modo hâc, modo illâc, rurſum, prorſum dirigebant, & interdum alii ex aliis eâdem viâ ſingulatim progreſſi ſunt, & aliquandiu ſibi invicem colliſione mutuâ impingebant cum tremulo ac vibrante motu, & celeritate fere incredibili. Radii quidam obſervati ſunt uſque ad Zenith ſe porrigentes. Viſa eſt ſæpe lux ſe in acervum collegiſſe, atque ita mirum exhibuiſſe fulgorem coloribus Iridis tinctum, & iterum viſa eſt ſe dilatâſſe. Luna hâc nocte lucide ſplendebat.

Die Jovis Martii 12. $17\frac{18}{19}$. circa horas X & XI. Aurora Borealis rurſus obſervabatur.

Die Veneris Martii 27. iterum viſa eſt Aurora Borealis cum radiationibus variis obliquis, ſcundùm hanc Figuram. *Pl.* I. *Fig.* 5.

Die Lunæ Octob. 26. 1719. hâc nocte etiam viſa eſt circa horas VII & VIII.

Item die Lunæ Nov. 9. 1719.

Die Domin. Jan. ult. $17\frac{19}{20}$. Hâc nocte, ab horâ ſeptimâ uſque ad decimam, Aurora Borealis viſa eſt altior, quam unquam antehac obſervata fuit, per dimidium cœli ab oriente uſque ad occidentem, fere obducta coruſcationibus variis interſperſis, adeoque lucebat, ut characteres in libro perquam diſtincte videri poſſent.

Die Saturni Sept. 17. 1720.

Die Lunæ Jan. 6. $17\frac{10}{11}$. circa horas VII & VIII. viſa eſt iterum Aurora Borealis cum coruſcationibus pyramidalibus, undique a Zenith, veluti centro, obductis, imaginem exhibentibus pæne inſtar Umbellæ.

Die Domin. Jan. 12. $17\frac{0}{1}$.

Die Lunæ Sept. 11. 1721. circa hor. IX.

Die Mercurii Sept. 5. 1722. ab horâ decimâ ad ſeſquidecimam.

Die Mercurii Octob. 3. circa hor. IX.

Die Jovis Octob. 4. circa hor. X.

Die Domin. Dec. 23. 1722. circa hor. VIII.

Fig. 2.



Fig. 1.



Fig. 3.

Fig. 5.

Fig. 4.